



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**PSALTE=||RIVM DAVIDIS || CARMINE REDDITVM || PER  
EOBANVM || HESSVM.||**

**Hesus, Helius Eobanus**

**Lipsiae, 1557**

**VD16 B 3198**

Psalmvs XLVII. Omnes populi plaudite manibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69301](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-69301)

Exhortatio ut  
Ecclesia agno  
scit hanc Dei  
benignitatem,

Huc agite, ite, Dei spectantes facta per orbem,  
Tam cito qui totum tam loca uasta dedit.

Hic si quando uolet bellum de Gentibus aufert,

Vsq; sub extremas, ultima regna, plagas.

Præualidos arcus & acutæ conterit hastas,

Currus & celeres concremat igne rotas.

Desinite, & solum esse Deum me discite, cunctis  
Gentibus, & cunctis terribilem populis.

Ἐπιφύγματα Causa Deo curæ nostra est uirtute potenti,

Auxilio nobis est Deus omnipotens.

## PSALMVS XLVII.

Omnes populi plaudite manibus,

## ARGUMENTVM.

Est prophetia de Regno Christi per Euan-  
gelion constituendo: Ac meminit cultus no-  
ui testamenti, ut Deum per prædicationem  
uerbi laudent, quod uerbum etiam princi-  
pes Gentium sint amplexuri, & futuri popu-  
lus Dei Abraham. Quare manifestus hic er-  
ror Iudeorum deprehenditur, qui de arca  
in domum Domini deportata exponunt.

Qua sit ouans pompa Rex ascensurus in altum  
Christus, & in cælum compositurus iter.

Hic Rex non armis, uerbo tamen omnia uincet,  
Ut ueterem strarunt Hierichunta tubæ.

Vincenti Psalmus filiorum Corah.

Propositio.  
Gaudete.

E Dite festiuo populi noua gaudia plausu,  
Lætaq; gratifica iubila uoce sonent.

Regnat



Regnat enim Dominus sublimis & omnia terrens,  
 Qua terrarum aliquid sidera cunq; uident.  
 Subiecit populos nobis non ante fideles,  
 Sub pedibus nostris plurima regna dedit.  
 Hæredes regni statuit nos; gloria magni  
 Quis sumus Isacidæ, cuius amicus erat.  
 Carmine iubileo Deus est euætus in altum,  
 In sua terribilis nubila uoce tubæ.  
 Dicite nunc pæana Deo, nunc dicite laudes,  
 Ferte Deo regi carmina, ferte Deo.  
 Rex etenim Deus est terræ omnia regna gubernans,  
 Huic canite excultos, quo decet ore, modos.  
 Imperium Deus in Gentes rex obtinet, idem  
 Qui Deus in sanctæ sedis honore sedet.  
 Summisere Deo terræ sua regna Tyranni,  
 Magnanimum Thariden quem coluisse ferunt.  
 Nam super & proceres, & maxima nomina terræ  
 Altior, haud ulli sceptra tenenda tenet.

Narratio, quæ exponit causam propositionis, qd Christus in mundo per Euangelion potenter regnet.

Hebraice est:  
 Psallite sapienter. Sicut Paulus iubet, recte secari uerbum Dei.  
 Abraham filius Thare, Genesis XI.

## PSALMVS XLVIII.

## Magnus Dominus &amp; laudabilis.

## ARGUMENTVM.

Est plane idem argumentum cum Psalmo quadragesimo sexto: Commemorat enim beneficia, quæ Deus præstítit suo populo, cum Hierosolymam seu Ecclesiam & cultum suum defendit & seruauit contra hostium uarios impetus. Hæc exempla nos quoq; consolantur, futurum ut Ecclesiam suam seruet Deus.

G 5

Seruâs

